Aussfeldt, Christ.
Jena.

D. O. M. A.
DISSERTATIO MEDICA
De
CHYLIFICATIONE
seu
COCTIONE PRIMA,
Quam
PRÆSIDE
VIRO
Excellentissimo, Amplissimo atq; Experientissimo
Dn. GOTHOFREDO MOEBIO
Med. D. & P. Publ. celeberrimo, Domino Præceptore, Promotore, ac Patrono suo, omni honoris cultu ætatèm ac plurimùm devenerando colendo,

Publico exponit examini
CHRISTOPHORUS Außfeldt/ Cunicensis.
ad diem 20. Septemb.
In Auditorio Medico
horis consuetis

JENÆ,
Typis GEORGII Sengenwaldts & CASPARI Freyschmieds
ANNO M. DC. XLV.

10.

D. O. M. A.

QUicquid de microcosmi solis, cordis motu, *Pergamenus senex* dixit: ad ejus differentias exactissimè, & absolutissimè cognoscendas, totam humanam vitam requiri; illud de chylificationis actione quoque, opere admirando, affirmare nulli dubitamus. Etenim tam brevi tēpore, trium vel quatuor horarum spatio, cibum interdum satis crudum coctuq; rebellem ita posse resolvi, in chylumq;, succum alendo corpori aptum mutari, non leve videtur solertis Naturæ opus, stupendam ignis, omnia subigentis, & depascentis, vim, multis parasangis antevertens: ut adeò egregium hoc opificium à mirabili quodam *Archéo* expediri cum *Paracelso* affirmare; nec humanum, sed meritò divinum cum *Galeno 4. de usu part.* cap. 1. salutare possis. Quamobrem quum exercitii gratia publicæ censuræ aliquid exponere decreverimus, hanc materiam ventilatu dignissimam elegimus, in re difficili & obscura, quid maximè rationi consentaneum sit, scrutaturi. Adsit Deus nobis suâ gratiâ nosque in hâc διασκέψει dirigat, ut nosmet ipsos perfectiùs noscere, ejusq; gloriam uberiùs decantare discamus.

THESIS I.

CHYLOSIS ſeu COCTIO PRIMA DEFINITUR communiter; *Quod ſit actio ventriculi, quâ cibus & potus aſſumtus, à facultate χυλοποιητικῆ, nec non calore proprio, vicinarumq; partium alteratur, in Chylumq;, ſuccum ptiſanæ cremori ſimilem, & alendo corpori aptum, mutatur.*

II. Actionem ventriculi *chyloſin, ſeu coctionem primam* eſſe, nemo facilè in dubium vocabit. Hoc tamen hîc venit conſiderandum, an non inteſtina quoq; ſymbolum ſuum conferant? Eorum enim ſubſtantia teſte *Gal. 4. de uſu part. cap. 17.* à ventriculo haud multum eſt diverſa. Aſt aliàs Anatomici hoc uti ſolent argumento: Cujuscunq; partis ſubſtantia in toto corpore non eſt ſimilis, illius etiam præ cæteris peculiaris erit uſus. Hinc ſequitur: Cujuscunq; partis ſubſtantia cum aliâ eſt ſimilis, illius quoq; cum eadem uſus erit idem. Atqui inteſtinis cum ventriculo ſubſtantia eſt ſimilis, E. & illis idem erit uſus. Accedit & hoc, quod carnoſa tunica, quæ extrinſecus ventriculum ambit, in inteſtinis ſit interna, & actionem ferè fortiorem arguat. Alii eandem ob cauſam inteſtinum vocant caudem ventriculi, quemadmodum & ſpinalis medulla cauda cerebri, & cerebrum oblongatum perhibetur. *Galenus* quidem, inteſtina coquere adhuc, eſſe verò non tàm coctionis, quàm diſtributionis gratiâ condita, affirmat. Quid verò impediet, quo minus coctionem eorundem, præprimis tenuium, uſum primarium, diſtributionem verò chyli ſecundarium ſtatuamus? Certè infinitæ venulæ non fruſtrà; ſed ſingularis alicujus uſus gratiâ in ſuperioribus inteſtinis videntur collocatæ. Cadente enim, poſt inventas ab *Aſellio* lacteas, uſu trahendi chylum, quem alium ſtatues, quàm ut advehant nutrimentum inteſtinis? At tam copioſo alimento in parte membraroſa opus eſſe, quis non ambiget, alias ſimiles partes, imò & ipſum ventriculum, cui tamen actio aſcribebatur nobilior, tanto vaſorum apparatu non inſtructum conſpiciens?

III. Quid itaq; reſtat aliud dicere? niſi copioſiſſimas has-

hasce venas mesaraicas calorem copiosum pro robarandâ intestinorum actione advehere. Si verò eorum actio, & usus primarius esset chylum distribuere, tam ubere caloris proventu non erat opus: siquidem non credendum, intestina proprio Marte chylum, vi quasi ad alias partes trudere, & propellere, qui potiùs attrahitur per lacteas, ut & alii humores ab aliis partibus. Exemplo sunt vegetabilia, quibus certè terra, nisi ipsa attrahant, nullum vi obtrudit alimentum. Betula, & quævis alia arbor trunco suo avulsa, aquæque immissa διανοίας ἀῤῥωστίαν vincit, cogitq;, ut credas, alimentum à re nutrienda attrahi posse. Unde nec bruto, nec homini bolus ullus ori ingeritur, nisi quodvis, quod sibi idoneum, quærat. Calor ergò copiosus in intestinis non propter chyli receptionem desiderabatur; qui etiam pro levi hoc usu cum leviore receptaculo, membranâ simplici contentus fuisset. Et hac ratione venarum in intestinis copia, calorisq; per easdem adducti vis, nullum amplius inveniet usum, quàm roborandi chylificationem, ceu usum eorundem primarium; ut ibi nimirum chylus ultimam quasi manum accipiat, omnibusq; numeris fiat absolutus, exactiorem elaborationem tandem in angusto tubulo, quàm antea in capaci olla reportaturus. Ridiculum sane quorundã est argumentũ: ubi nulla notabilis cavitas, ibi nulla coctio; quasi verò omnis coctio sit culinaris, nec possit peragi nisi in lebete decumano. Invertenda potius est hæc sententia: ubi coctio in loco fit angusto, & per notabiliorem partis coquentis attactum, ibi coctio eitam nobilior. Et sic ventriculus quoq; ut chylum ex cibo conficiat, omni ex parte eundem attingat, & contrectet, necesse est: siquidem ejus actio in distans absq; contactu vix erit, ut clarius apparet in aliorum viscerum coctionibus. Sic cordis ventriculi satis sunt angusti; & ut ex chylo in Epate fiat sanguis, ex sanguineq; arterioso in cerebro spiritus animalis, quasi per spongiam humorum in istis partibus fit transcolatio, nè quicquam nimirum exactam effugiat elaborationem. Ast in suffarcinato, & distento gulosorum ventriculo, quomodo tam exacte id fieri poterit? Quomodo ventriculi parietes cibum in medio contentum attingent vir-

tuteq; χυλοποιητικὴ alterabunt? Nec enim vim magneticam corr-
iaceo huic marſupio, ut *Laurentius* veſicæ felleæ, tribuere poteris? Quocirca Natura ut hâc inparte ſibi proſpiceret, inteſtina ſuperiora ventriculo appoſuit anguſtiſſima, omni ex parte chylum comprehenſura, perfectura, ventriculiq; defectum reſartura, ſolertiſſimorum artificum more, qui egregium quoddam opus confecturi, primò illud rudi quaſi Minerva delineant, vel parant, ut deinde eò accuratiùs perficere, atq; ad umbilicum deducere queant.

IV. Bulimo laborantes, aliiq; hominum gulæ & abdomini nati, dum ſæpe per totam diem & noctem cibum potumq; copioſiſſimè ingerunt, beneq; coquunt, chylum in inteſtinis bonum excludi poſſe oſtendunt, quũ ob ingluviem ingeſtionemq; continuam nihil diu in ventriculo morari poſſit, ſed ob copiam ex eo protrudatur. Licet autē Bulimo affectos non benè coquere dicere velis, id quod ex vomitionibus, alvifluxu, animi deliquio aliisq; concurrentibus ſymptomatibus forſan colligere poſſis; novimus tamen exempla, quod tales homines benè absq; omni noxâ copiſiſſimè ingeſta coxerint. Sic etiam Clariſſ: *Sennertus lib.* 3. *prax.* Novi, inquit, ante aliquot annos hîc ſtudioſum, habitu corporis nigrum, qui hoc morbo laborabat, & non ſolùm de die; ſed noctu etiam comedebat, cibum tamen, quem ſumebat, ſine vomitu coquebat, imò cibis delicatis ſaturari non poterat, ſed craſſos expetebat: unde nec panem à noſtris piſtoribus confectum, ſed à ruſticis in vicinis pagis emtum, ut ſolidiorem, comedebat; ſæpè mane paſtinacæ ſativæ radices, tot, quot ſex nummis emuntur, crudas ſine damno comedebat.

V. Serpentes, & piſces quidam, fortiſſimam Inteſtinorum coctricem vim clariorem ante oculos ponunt: hæc enim animalia absq; ventrculo coquere videntur, quum in iis vel ventriculum planè nullum, vel ſatis obſcurum ab inteſtinis diſtinctum invenias. Imò & obſervatum eſt, inteſtina, hepatis & lienis quoq; vicibus functa fuiſſe: ſiquidem *Matthæus Ortelius Antuerpienſis* poſt obitum diſſectus, absq; his viſerib⁹ inventus eſt, habuit autem inteſtina carnoſa & ſolidiora, ex quibus & ipſa

vena

venæ cavæ originem duxi, ut refert *Schenckius lib. 3. observ.* Memoratu dignum est, quod hisce diebus observavit Amplissimus ac Excellentissimus Dominus Præses, cui rusticus è pago quodam prope Orlamundam retulit de suâ filiâ novem annorum, quod ante aliquot annos tumore abdominis ingenti correpta, & à vicinis, lumbricis laborare judicata fuerit: verum medicamentis contra lumbricos exhibitis, nil levaminis quum perciperetur, plantæ emollientes coctæ, aliorum suasu, fuere exterius applicatæ, ex quib⁹ tumor pedetentim decrevit, remanente circa umbilicum tuberculo, ovum gallinaceum æmulante; ex quo sponte suâ aperto, ingens puris copia emanavit, subsequente tandem cibo non multùm mutato, qui etiamnum ad hunc usq; diem semper à prandio & cæna per illud foramen eructatur, salvo interim appetitu, salvaq; coctione, quam nutritio, recrementaq; naturaliter se habentia egesta attestãtur. Huic vero quis non ventriculum, solutâ unitate læsum in chylificationis quoq; opere valdè debilem, intestina verò eò fortiora pronunciabit? Cum porrò & bilis chylo in intestinis tenuioribus admisceatur, (ut in eruditissimo, Experientissimi Domini Præsidis, Præceptoris mei ætatèm colendi, de bile discursu elegantissimè demonstratum) operamq; in coctione non infimam præstare videatur, quis est qui amplius intestina primariò quòq; primæ coctioni, secundariò verò tantùm distributioni inservire negare ausit? imprimis cum iis vel leviter læsis ipsam chylosin lædi, eorumq; vulnera, *Hipocrate* teste, lethalia esse observemus.

VI. Hanc egregiam intestinorum operationem quum *Hippocrates* perspiceret, illa non immeritò ventriculi quoque nomine dignatus est: *libro n. de arte* dicit, *corpus non unum habere ventriculum, sed plures. Duo enim sunt, qui cibum accipiunt & demittunt &c.* Hoc autem in loco per secundum ventriculum, alimento dicatum, intestinum intelligi, testis est *Riolanus*, & colligitur ex eodem *Hippocrate* lib. de coporum resectione.

VII. SUBJECTUM coctionis primæ, sunt cibus & potus. Cibum quidem homo eligit partim ex animalium carnibus, lacte, ovis &c. partim ex vegetabilium genere, præprimis autem fructibus. Antequam antiquitas plenam habuerit

erit multorum frumentorum, leguminum, granorumq; aliorum varii generis cognitionem, plures glande vescebantur: aliipeculiariter eorum fructuum genere, qbus abundabant, quemadmodū de *Argivis* scribitur, qui pyris pascebantur; *Athenienses* verò ficubus, quibus ita abundabant, ut illis pecora etiam enutrirent. *Medis* pro cibo erant amygdalæ. *Æthiopibus* arundinum fructus: cardanum *Persis:* palmulæ *Babyloniis*: Ægyptiis lotus, ex cujus semine quædā panis species conficiebatur, ut scribit Aetius tetr. 1. Aliæ gentes olim in hunc finē agrestes venabantur feras, ut *Getuli*: aliæ pisces, ut *Ichthyophagi*: aliæ testudines, qui *chelophagi* dicebantur; alii locustas, ut *Ægyptii. Querc. Diat. Polyhist.* Quorundam Indorum victus adeò est barbarus & inhumanus, ut carnibus etiā hominū vesci non abhorreant, uti testātur historiæ. In *Indiæ Orientalis javâ majore* orizæ semina cocta, loco panis carnibus adjunguntur, ut illi referunt, qui ex nostris oris navigationibus istuc venēre *Hiucca* succus licet sit lethalis, ex radice tamen hujus plantæ siccâ, quidam Indiæ incolæ farinam & panē saluberrimum parant, ut refert *Cardanus & J.C. Scaliger in subtil. exercit.* 153. f. 5. &. 8. Sucessu temporis aristæ, hoc est, frumenti omne genus melioris nutritionis ab hominib⁹ inventum est, quod utilius cæteris omnibus vegetabilibus & granis præbet alimentum. Ex eo hodiè conficitur panis noster; illorum granorum usus ubiq; nunc familiarissimus est: atq; inde basis omnis nutritionis salubris & necessariæ statuitur. Varia autem licet homo pro cibo eligat, ab illis tamen abhorret, ubi venenum inesse putat, secus ac quædam bruta faciunt, quibus alia venena pro deliciis habentur, alia verò licet salubria rejiciuntur. Sic serpentes cervus absq; noxia commedit; ursus formicas; asinus ferulam, quæ tamen equos perimit; vultur priùs fame perit quàm ut triticum attingat: Anas bufones non abhorret: veratro nobis prorsus inimico pinguescit coturnix. Pavo serpentibus & lacertis vescitur. *Paracelsus* l. *param*: porci ventriculum miratur, quod è stercore aliorum animalium adhuc chylum producere queat, ideoq; illum subtilissimum Alchymistam vocat.

IIX. Hos-

IIX. Potus quoq; ad chyloseos actionem requiritur, ut mistio cibi ad elixationem in humido peragendam necessaria, exactè fieri possit. Veteribus aqua simplex pro hoc usu sufficiebat, quam etiamnum ruricolæ, quibus res angusta domi, assumere consueverunt. Pura autem debet esse aqua, eaq; fontana, levis, pellucida, limpida & oculis grata, ut omni sapore & odore aliáve id genus qualitate careat: Tophosæ enim calculos generant, aliæ, ut in alpibus Tyrolensibus, strumas bibentibus producunt; aliæ alia incommoda secum ferunt. Aqua t quidem per se non nutrit, sed tantùm alimenti est vehiculum, u. dixit *Hippocrates*; cui contrarius est *Quercetanus* in Diæt. Polyh p. 225 piscium exemplo permotus. Majori cum sanitatis commodo vinum in potum venit: Hoc enim quum spiritu & calore notabili polleat, egregiè coctionis promovet operam. Hinc etiam Divus Apostolus amico suo Theophilo author erat, ut propter ventriculi imbecillitatem non amplius aquas, sed vinum biberet. Hoc senectuti ob caloris defectum præ cæteris conducit, & idcirco non immeritò lac senum vocatur. In Saxonia cerevisia è tritico parata in deliciis habetur: Thuringis, Mysis, aliisq; Germaniæ incolis quamplurimis cerevisia è hordeo cocta, lupuloq; condita, magis ad salivam facit, coctionem non tantùm juvans, sed nutrimentum quoq; laudabile relinquens, modò ritè sit fermentata. Alii aliorum fructuum succos, sive plantarum decocta, sive etiam mulsum, hydromel, & id generis alia in usum trahunt.

IX. Hosce autem cibos, homo sanitati suæ consulturus, non crudos, sed variis modis arte culinariâ & pistoriâ paratos in ventriculum mittit, priùs tamen dentibus benè comminuit. Hæc enim ciborum masticatio tã necessaria est, ut *Hipp.* 2. epid. 6. t. 2. nec non *Aristoteles* 2. *hist. Animal* 3. dentes plures vitæ longævitatem, pauciores ejusdem brevitatem denotare scripserint. Hinc & illorum brutorum carnes sunt salubriores, quæ ruminant cibos, benèq; masticant: Natura hâc in parte tam provida fuit, ut nullum animal absq; dentibus, plura verò eorum abundantiâ ditaverit. Sic serpentes duplicem seriem dentium in utraq; maxilla habent. Mantichora belua apud *Indos* nota, tri-

plici dentiun ſerie, teſte *Æliano*, armatur. Idem in piſcē moraxo, aſſerente *Riolano*, obſervatur. Cancri non tantùm dentes exterius ad cibum arripiendum habent; ſed etiam in ipſo ventriculo, viſu mirabile! triplici ſitu reſpondentes obtinent; ut nimirum cibi ingeſti eò melius miſceri & coqui poſſint, quum integra deglutita incocta egerantur, nec quicquam emolumenti corpori præſtent nutriendo. Fidem ferè ſuperat, quod homines abſq; omni cibo & potu viventes reperiantur. Sic enim *Plinius* 2. hiſt. natural. ſcribit, quod in extremis Indiæ finibus ab oriente verſus fontem & ſcaturiginem Gangis, populi quidam ſint, *Aſtomi* dicti, qui ſolùmodo ex odoribus & ſubtilibus exhalationibus quarundam radicum, florum, & fructuum per narium inſpirationem attractis vivant. Quod verò ad tempus homines quidam absq; cibo vixerint experientia atteſtatur.

X. CAUSA CHYLOSEOS dicitur facultas χυλοποιητικὴ, quod per calorem tùm vētriculi proprium, tum vicinarum partium, vim ſuam exſerat, famulantibus retentrice & expultrice. Alii alias cauſas in medium olim afferebant. Siquidem ut refert C. *Celſus* initio *lib*. 1. quidam, duce *Eraſiſtrato*, atteri cibum in ventre, alii authore *Pliſthonico*, *Praxagoræ* diſcipulo, necnon *Empedocle* putreſcere dicebant; alii *Aſclepiadis* æmuli, omnia iſta vana & ſupervacua eſſe, nihilq; concoqui, ſed crudam materiam, ſicut aſſumta erat, in corpus omne deduci contendebant. Alii πνευματώσει quadàm cibos reſolvi, ac in formâ vaporum chylum diſtribui affirmant.

XI. Facultatem χυλοποιητικὴν in excludendo chylo illud eſſe agens, per quod anima vim ſuam in hoc opere exſerat, non negandum, quum & aliis partibus ſpecifica quædam vis ad hoc, non ad aliud producendum concedatur. Verùm quibus inſtrumentis, & quomodo χυλοποιητικὴ operetur, ita videtur intricatum & in hâc mentis noſtræ caligine occultum, ut *Galenus* hanc actionem accuratiore mentis indagine inquirens, eam non humanum, ſed divinum opificium nominet, viriq; aliàs in Medicinâ clariſſimi hîc ad commune ignorantiæ aſylum, occultas qualitates, confugere neceſſe habeant.

XII. CALORIS quidem actio in corpore noſtro tanti

æſtima-

æstimatur, ut *Avicenna* eum amicum naturæ nostræ, aliiq; communem δημιουργὸν, seu commune Naturæ instrumentum, quo ad virtutes rerum fovendas & excitandas utatur, dixerint; & quidam vitam nostram non nisi in calido consistere affirmarint; id quod *Seneca* etiam voluisse videtur, quando sine calore nihil vivere l.1.quæst.nat:cap.10.scribit. Verùm χυλοποιητικὴν munus suum per eundemcalorem solùm administrare posse, non satis videtur certum, & exploratum; quum tam fortis in animali non inveniatur, qui nobilissimæ huic operationi sufficiat. Sic ossa persicorum à cane, visci semen à turdis, melonum à felibus, ficûs à passeribus, cerasorum ossicula ab homine deglutita non corrumpũtur, sed egesta iterum germinare possunt, quæ aliàs levi igne, vel ebullientis aquæ fervore subacta corrumpuntur, omniq; germinandi facultate spoliantur. Carnes crudissimas lupus citò coquit, in chylumq; resolvit, quas aqua ferventissima vix aliquot horarum spacio ad aliquam mollitiem reducere, corporiq; alendo aptas reddere potest. Canis ossa digerit, quæ nec ignis patentis vi aliàs cedunt. Imò si calor tam multùm in chylo educendo præstaret, & tam necessarius esset, piscium genus, ac reliqui Oceani incolæ novercantem accusabunt naturam, quòd ferè omni animantium turbæ lucentem quasi focum pro nutrimenti præparatione indiderit, ipsis verò, qui tamen ad perpetuum aquarum algorem erant damnati, atq; amicâ refocillatione præ cæteris indigebant, nè micam quidem vegeti caloris ad coquendos cibos, quos capiunt crudissimos, fuerit impertita. Quomodo exsanguia, quæ tamen, teste *Galeno* de fœtûs formatione, calida non sunt, primam expedient coctionem? Quare non etiam quò calor in corpore in febribus major, melior quoque observatur chylificatio? quam potius cum appetitu à crescente calore destrui videmus? Quare bulimo laborantes totâ die ac nocte cibos ingerunt & coquunt, plerumq; tamen sunt frigidioris constitutionis, vel morbis frigidis, ut quotidianâ, quartanâ, hydrope, ut testatur experientia, tentantur? Vegetabilia nutrimentum è terrâ attrahentia, & absq; notabili calore in sui substantiam mutantia, ventriculi nostri calorem quoq; reddunt suspectum, ut

adeò solum calorem hîc omnem facere paginam, vix credere possis. At respondeat hîc aliquis; verum quidem esse, calorem per se chylum non generare, sed quatenus ceu instrumentum dirigatur à superiori agente, animâ nimirum & formâ ventriculi. Verùm licet calor à superiore agente regatur, tamen ultra suas vires agere non poterit, cibumq; destruere, & bonam partem elicere, ut in chymia, & aliis naturæ operibus manifesto apparet indicio. *Josephus Quercetanus* miram primæ hujus coctionis efficaciam conspiciens, à calore quoq; recedit in Diæt. Polyhist. p.177. sic inquiens: Hanc coctionē factam nullus alius calor externus sive igneus, quantumvis vehementissimus ac ferventissimus, vel per plurium etiã dierum ac septimanarum durans spacium perficere unquam posset.

XIII. Quid per *attritionem ciborum* in ventriculo Erasistratus intelligat, non satis clarum; nisi ipsam coctionem quasi ciborum attritione, & pro minima mixtione, & digestione fieri velit. Sed & sic adhuc in eodem hæremus ignorantiæ luto, verum coctionis modum non satis assequentes.

XIV. Putredine verò cibos in ventre resolvi præter *Plisthonicum*, *Petrus Castellus*, *Medicus Romanus*, quoq; statuere videtur, idq; *Hippocratis* nec non *Paracelsi* authoritate stabilire conatur. *Hipp. n. lib.* περὶ παθῶν *sect.* 5. *de lienteria* agens, inquit: *Intestinorum lævitas cibos demittit minimè putrefactos, liquidos &c.* Item Paulò post addit: *Hic verò morbus contingit, quum ex capite & superiore ventre in inferiorem pituita defluxus factus fuerit. Ideoq; quum fit, cibi ab eo refrigerantur & humectantur, eorumq; non putrefactorum velox fit per alvum demissio &c. Paracel. l. 2. Param. cap. 1.* verba sunt: *Nec enim medicina tunc bona est, quia non corrumpitur in ventriculo, in quo debet corrumpi. Medicina autē calida, ut radices, & alia similia peste laborantibq, traditæ, si nō putrefiãt, nihil boni præstant: si profutura sint, necessariò putrescunt. Quâ de causâ isti non restituuntur sanitati, quorum stomachus non corrumpit. Ex quo sequitur, quò celerior putrefactio, eò celerior sanitas.* Alii ex fœtore excrementorum aliquam putredinis conjecturam facere volunt. Mirum autem, quod homo non continuò febre laboret, quũ putredinis focum sic semper in promptu haberet. |Deinde cum putredo propriè dicta sit, asserente | *Philosopho*, proprii & naturalis calo-

caloris corruptio, qui tamen ad restaurandas vires, & nutriendas partes non corruptus, sed purus requirebatur; non est existimandum, adductos authores strictè vocem putredinis sumere. Aliàs enim & putridi cibi commodo essent; qui potius, si assumãtur variorũ morborum causæ esse solent, non rarò ipsam pestem epidemiosq; affectus excitantes. *Hippoc.* etiam aliis in locis plurimis actionem ventriculi coctione per calorem fieri ait; & vocem ἄσηπτον latè & impropriè ibi sumi, testis est accuratissimus ejus interpres *Prosper Martianus*. Item *Paracelsus* Parãr. cap. 9. putredinem omnem corpori venenum esse expressè scribit: Ut adeò ipsos non de vera putredine, sed de aliquali ciborum coruptione sive alteratione, quæ coctione fieri debet, loquutos fuisse constet. Vana aliorũ opinio, quod cibi integri prout assumti fuerint, ad corporis penetralia deducantur, nè digna quidem est, ut multis attingatur, sic enim nè opus quidem esset ventriculi structurâ.

XV. Πνευματώσει tandem cibos coqui, in formâq; vaporum omnem chylum confectum distribui, parùm probatur, difficiliùs creditur. Partes quidem cibi & potûs subtiliores spirituosioresq;, quæ operosam coctionem non desiderant, statim vel evaporare, vel à spiritib⁹ corporis nostri attrahi, non omninò negandum, quum laboribus vel itinere defatigatos haustu vini in momento videas refectos, qui tamen aliàs ad se tàm subitò non redirent, si vinum omne justam pati moram in ventriculo debuisset. Omnem verò chylum ita evaporare, & quasi per atomos distribui posse, partes in eo terrestriores, ad evaporationem ineptissimæ, impediunt, quod chymica corporum resolutio nobis reddit satis clarum.

XVI. Quocirca, ut modum coctionis clariùs perspiciamus, ante omnia ejus natura consideranda. *Coctio* autem nostra iam omnium consensu fit *elixatione*. Eam *Stagirites* definiens, inquit, quod sit πέψις ὑπὸ θερμότητος ὑγρᾶς τοῦ ἐνυπάρχοντος ἀορίστου ἐν τῷ ὑγρῷ i. e. concoctio à calore humido ejus indefiniti, quod in humido inest. Hic quidem non additur, à quonam calore, an ab externo an verò ab interno fiat? quemadmodum factum in aliis coctionis speciebus, ut in maturatione & assatione, ubi hanc ab externo, illam verò ab interno perfici, juvariq; nonni-

hil

retur, chyloq; exitus & ascensus per pylorum denegaretur? Ubi tn. contrarium experientia atteſtatur, ut ex antea allegatâ rustici filiâ patet. Quis etiam nescit, quod Opilioni Regiomontano in Porussia, culter (qui ebrio, cum manubrio vomitum irritaturo, fortè fortuna in ventriculum ceciderat) è secto à medicis ventriculo protractus fuerit, cibiq; interim per pylorum ascensus salvus remanserit? Existimamus igitur cibum & potum in ventriculo dum fermentantur, rarefieri, & spontè, ut aliàs in fermentatione fieri solet, in tumorem quasi attolli, adeò ut pylorum tangant, qui attrahit oblatam massam: ventriculus interim anteà à cibo & potu distentus paulatim, parte chyli ebullientis elabente, sponte concidit, & ad naturalem tonum tendit: unde tandem ferè omnis chylus maximam partem proprio motu, absq; aliquâ vehementiore ventriculi compressione, ad intestina venit, more cerevisiæ ebullientis, quæ per dolii orificium, magno cum impetu sponte ascendit, & prorumpit. Nec enim satis probari potest, ventriculum post assumptum cibum, potumq; arctissimè claudi, nec quicquam emittere, donec omne perfectissimè sit coctum, quod tandem forti sui constrictione expellat, ut habet Galenus 4. de usu partium c.17. Contrarium potius veritati consentaneum, pylorum nimirum semper hiare, & ebullientem massam attrahere: id quod ex eo patet, quod ventriculus, qui post sumtum cibum & potum nonnihil intumuit, intra duas horas detumescere aliquo modo solet, quo temporis spatio tamen coctionem omnem nondum plane absolutam esse, certum est. Insuper non nulli, qui largiùs bibunt, vix hora à prandio vel cæna, una elapsâ, copiosius mingere solent, & quidem sæpè plane aquea: non verò credibile est, solam aquam, sed & chyli partem tenuiorem attractam fuisse: Unde & à cibo assumto citò vires reficiuntur, quòd non fieret, nisi statim aliquid chyli esset elaboratum, & ad venas deductum. Hæc alimentorum fermentatio, si rectè se habet, chylus etiam absq; aliquâ molestia assurgit, ac ventriculo egreditur. Simul atq; verò vel imminuitur, vel tollitur, dolor in ventriculo gravativus adest, crudusq; cibus vomitu potiùs rejicitur, quàm & ad intestina penetrare

queat

queat. Tantum è fermentatione emolumentum! tanta virtus.

XX. Sed hæc ut clariore luce radient, fermentationis natura paulo altiùs erit indaganda. Quid propriè fermentatio, ex hactenus dictis clarebit. Nimirum nihil aliud est, quàm elixatio, quia fit à calore proprio humido & vaporoso. Subjectum sunt mista, non quidem omnia, sed quæ ex viventium genere provenerunt.

XXI. CAUSAM PROXIMAM fermentationis, quidam, imprimis *Petrus Castellus, Medicus Romanus*, in spiritu quodam acido quærere visi sunt. Sic enim in epistola de spiritu acido inquit: *Hic spiritus acidus semper est mobilis: Hic est illud impetum faciens, de quo Hippoc. loquitur, est pro tertio constituente corpus nostrum; hic agitat omnia mista: hic omnia fermentat, & commovet, quam proprietatem optimè novêre Philosophi antiqui, Plato, Aristoteles, Theophrastus, atq; Galenus; ideo in acidi definitionibus posuere vim fermentandi, quæ propria est aciditatis, cui soli, uni, & sẽper convenit, quâ quidem ablatâ fermentatione & ebullitione, tollitur omnis generatio, omnis cibi in ventriculo coctio, omnis deniq; naturæ actio &c. Plato* quidem in Timæo dixit: Hæc eadem ex putredine attenuata, angustas venas ingrediuntur, coguntq; partes interiores tàm terrenas, qùam quodammodo aëreas, jactatas invicem commisceri, permistaq; circumlabi alias, alias egredi, ingressuq; suo penetratas concavas tensasq; efficere, ubi concavus & ampullosus humor aëri circumfunditur, isq; humor aliàs terreus quoquo modo, & aliàs purus, fitq; ex aquâ concavâ vasculi aëris humidum, atq; clarum, sed qui ex purâ nascitur aquâ, perlucet undiq;, ampullaq; vocatur, quod ante ex lutulento màgis humore simul agitato quidem elatoq; & circumtenso conficitur, ebullitio, bulla, fermentumq; dicitur. Earum omnium passionum causa acida qualitas appellatur. Item *Theöphrastus Græcus* 6. de *caus. plant. c.* 1. inquit: Acida, quæ putredine attenuata jam fuerint, venasq; subeant angustas & agitent, fermentent, spumam excitent, atq; attrahere possint. In *Hippocrate* etiam legitur, quòd nigra fermententur, attollantur & multiplicentur. Item panis acido fermentatur

fermento. Ventriculus languidus acidis esurinis excitatur. Unde & *Hippocrates* ait, in longis lævitatibus intestinorum ructus acidus accedens, qui priùs non erat, signum bonum. Nimirum spiritum fermentatorem vicissim redire indicatur.

XXII. Verum enim verò hæc de spiritu acido quidem dicuntur, authoritatibus veterum probantur; sed satis infirmis rationibus muniuntur. Quod enim attinet adductos authores, eos de impropriè dictâ fermentatione loqui ex eo patet, quòd putredine coctionem fieri autumârint. Quòd calor nativus in putredine corrumpatur, antea fuit dictum; sed talem nostra natura non desiderabat, re incorruptâ & imputridâ restauranda. Acida quidem & nigra, ut ait *Hippoc.* etiam fermentantur, aliáq; ad pejorem statum mutare possunt. Verùm ex *Aristotele* patet, quod propriè nostra fermentatio debeat esse perfectio rei, non in deterius mutatio, ut in putredine, seu degeneratione humorum fieri solet. Quòd quidem in putredine, seu interitu caloris nativi, ebullitio seu fermentatio aliqualis intercurrat, non negandum. Sed, ut dictum, illa non tendit ad rei perfectionem; sed ad interitum & corruptionem; impropriè itaq; tantùm dicetur. Fermentum panis quidem acorem quendam præ se fert, sed adhuc copulatum cum aliquâ parte boni & integri spiritûs fermentatoris. Si enim fermentum tam diu servetur, donec planè acescat, non amplius fermentat. Acidus enim vapor, ex fermento exhalans, indicat jam spiritum degenerantem & evolantem. *Quercetanus* de plantarum destillatione agens, inquit, tantùm spiritum, seu aquam optimam evocari, quando acidus vapor exhalat. Sed benè notavit *Castellus*, quòd nullus amplius spiritus extrahi possit, si planè plantæ fuerint factæ acidæ. Sic & aquæ destillatæ, si acescant, virtutem suam amittunt specificam, calido innato proprio, corruptione dissipato. Porrò non imus inficias, ventriculum languidum acidis excitari. Hinc chymici commendant spiritum 🜕 ♀, quem acetositatem esurinam Veneris nominant; seu spiritum 🜕 Ungarici, atq; de eo scribunt, quòd tantis polleat virtutibus, ut omnia, quæ in ventriculo contineantur, sive tartareæ, sive sulphureæ impuritates fuerint, consumat, ven-

tricu-

triculumq; usq; adeò confortet ac roboret, ut omnia ccncoquere queat, ut struthio ferrum concoquit ac digerit. Verùm ὑπερβολικῶς hæc dicuntur. Non quidem abs re est, cum commodo sæpè eum exhiberi :cautione tamen non exiguâ opus est. Neque enim in quâvis ventriculi imbecillitate & morbo usurpandus , sed ubi crassi & tartarii humores in ventriculo adsunt, quos consumit. Postea etiam astringendo ventriculum roborat. Videndum tamen etiam hîc, nè quid nimis, & humidum radicale ventriculi ab eo dissipetur, & absumatur, quod sæpè ab intempestivo & nimio spiritûs ⊕ usu acidit. Ubi enim calor ventriculi languet & humidum radicale deficit, plus obest quàm prodest spiritus ⊕, ut habet *Sennertus lib. 3. prax. de chylosi læsâ.* Spiritus ergò acidi non per se juvant fermentatorem spiritum ventriculi, sed per accidens, absumendo & dissipando nimirum humores vitiosos, fermentum obtundentes. Tandem alicujus momenti videtur esse *Hippocratis* locus, ubi 6. *Aphoris 1. ait*: ructus acidus in lævitate intestinorum diuturnâ superveniens, bonum. Verùm hic ructus acidus non indicat, coctionem fieri ab humore vel spiritu acido, sed potius notat meliorem, sed adhuc imperfectam iterum fieri coctionem, quæ antea planè erat debilis & prostrata Debemus enim physicorum regulam in mentem revocare, quod *Natura non faciat saltum* i. e. non statim ab uno extremorum ad alterum in momento quasi saliat. Sic aqua frigida priùs fit tepida, quàm intensè calida: Et sic quoq; in diuturna intestinorum lævitate, ubi nulla vel perexigua fit coctio, non statim natura incipit perfectam iterum edere coctionem, sed incipit paulatim ab imperfectâ, nimirum à cruditate acidâ. Progressu enim temporis, quando coctio jam plane rediit ad statum naturalem, ructus acidus evanescit, pui potius in sano, si ab acido fermento fieret coctio, semper adesse, & bonæ coctionis signum præbere debuisset. Aciditas potius mixti indicat mutationem, spiritusq fermẽtatoris interitum. Sic ex vino, evolante spiritu sulphureo, fit acetũ, quod res alias fermẽtare nequit, sed tantùm corrodere, quod colligitur ex eo, quia quantitas in omni liquore acescente fit minor, quod fieri nõ posset, nisi pars aliqua exhalaret. Atquæ

pars exhalabit, nisi subtilissima & spirituosa. Hinc etiam si vas, inquo vinum ad acescendum reponitur, vel nimis repleatur, vel nimis obturetur, ut exhalationon tā facilè fieri possit, prius fit vappa quàm acetum. Levi verò negotio ex vino, cerevisia, alisq; liquoribus aliquid exhalare, & illud docet, quod dolia, in quibus vinum retinetur, si tantùm ad aliquot dies non satis repleta fuerint, ita vaporibus repleantur, ut nec candelam accensam, nec sulphur inflammatum absq; exstinctione indere possis. Vermiculi quoq; in aceto acerrimo nati, viviq; mirâ agilitate apparentes, acetum corruptione fieri ostendunt. Aliàs inquiunt Physici: unius generatio est alterius corruptio. Si hoc itaq; verum, quid acetum aliud erit, quàm vinum corruptum. Dicunt quidem alii, acetum vini non alio modo fieri, ac spiritûs fixatione. At si hoc verum, quomodo serum lactis, in quo nullus spiritus igneus, acetum præbebit. Et, si sponte suâ spiritus vini ita figi posset, quî fieret, quod Spagyrica industria id quoq; præstare non valeret. Alia volatilia, ut sal Armoniacum, Mercurius &c. non facilè se ipsa figunt, quod tamen Hermetica manus dat effectum. Hîc itaq; quare spir. vini tam levi negotio igneam subtilitatē exueret, schemateq; contrario incederet? Magis ad salivam itaq; facit *Sennerti* sententia, quâ in *Paralip.* acetum spiritûs sulphurei interitu generari probat. Et hæc si ita eveniunt, quid de ventriculi aciditate judicandum sit, facile liquet.

XXIII Potiùs itaq; existimamus, proximam fermentationis causam, secundum *Aristotelem*, esse *calorem humidum, eumq; in re fermentandâ proprium & naturalem.* Eleganter hoc expressit *Sennertus*, quando coctionem, ut suprà diximus, non solùm à calore ventriculi, aliarumq; partium externo, sed simul à cibi coquendi interno fieri, in *Paralip.* scribit. *Petrus Castellus* spiritum fermentatorem in acido subjecto locabat, qui tamen, ipso fatente, habet partes elementares, tenues, frigidas & siccas, è diametro elixationi, qualis est fermentatio contrarias. Per hunc autem calorem non intelligimus nudam qualitatem, quæ, ut suprà demonstratum, ad tam nobile opus expediundum nequaquam sufficiebat; sed spiritum quendam

sul-

ſulphureum immerſum in ſubtiliſſimâ parte humidi primigenii. Et hic poteſt dici illud ὁρμῶν *Hippoc.* Hic eſt calidum illud ἀρχήγονον πρωτόγονον, σύμφυτον, ἔμφυτον proximum animæ inſtrumentum, quod aliis τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ ἀνὰ λόγον judicatur. Hujus vegeta quaſi flamma, ignisq; naturæ perennis nè à maximo quidē frigore in quibusdam vegetabilibus extinguitur, & virtutes admirandas in medicamentis ſuppeditat

XXIV Calor autem hic, ſive ſpiritus, duplici modo fermentationem inſtituit, vel ſponte, vel aliquo incitamento, fermento nimirum, caloreq; externo adhibito. Sponte quidem, quādo calor in re fermētādâ ſatis eſt fortis, nec multis partibus ſiccioribus acq terreſtrioribus immerſus. Talis, ut antea fuit dictum, ſponte fit in muſto. Hinc etiam, quò muſtum generoſius, eò citiùs & fortior, quò imbecilliùs, eò tardiùs & levior fermentatio exhibetur. Quòd ſi verò calor in aliquo mixto ſit vel nimis debilis, vel multis terrenis & excremētitiis partibus incluſus, externo aliquo juvamine opus habet. Nimirum quæ ſolida, comminuenda, quæ ſicca, humectanda ſunt, ut ita omnibus partibus per minima probè miſtis, calor internus per moderatum externum, & fermentum eò faciliori negotio expediri posſit. Et talis fit in noſtro corpore. Nam cùm ea, quæ in cibum veniant, ſint mixta, & maximam partem ſolida & ſicca; adeoq; calorem inſitum multis terrenis partibus incluſum gerant; externa adminicula, de quibus dictum, requirebantur. Hinc cum magno ſanitatis juvamento cibi priùs arte culinariâ & piſtoriâ præparantur, & dentibus demùm maſticati comeduntur.

XXV. Eſt itaq; CAUSA REMOTA fermentationis *calor externus.* Quicquid enim *Ariſtoteles* dixit de maturatione, quòd nimirum fiat à calore interno, juvetur tamen nonnihil ab externo, idem etiam de elixatione & fermentatione affirmare poſſum. Hic autem calor externus duplici modo accedit, partim à fermento, rei fermentandæ, ad exſuſcitandum calorem internum, adjecto, partim à calore partis continentis, ad excitandum fermentum, accedente. Hinc jam non negamus, calorem tùm ventriculi, tùm partium vicinarum aliquid

ad coctionem facere: imò potiùs eum summè necessarium esse, & absq; eo non rectè se habente, exactam coctionem fieri non posse, existimamus. Moderatus autem hic debet esse calor, siquidem nimis debilis fermentum non sufficienter excitat: nimis fortis destruit, quemadmodum ex artificiali fermentatione fit clarissimum. Exinde jam potest dari ratio, quare in intemperie hepatis calidâ, ventriculi coctio fiat debilior, quæ ab aucto calore potiùs fortior esse debebat. Medius enim inter jecur & lienem ventriculus consistit, instar lebetis inter duos focos, ut ab his incalescat. Sic *Galenus* l. 3. *de natural. fac.* c. 7. lienem & hepar ἑστίας vocat, ventriculumq; comparat λεβητίζων, lebeti cuidam. Id quod movit etiam acutissimum Anatomicum *Riolanum*, ut de ventriculi imbecillitate ex hepatis calore dubitaret. Verum experientiæ hîc refragari non possumus, aliorum suffragiis satis munitæ. *Victor Trincavellius* quidem l. 2. *consil* 15. autumat, ab eximio calore hepatis pinguedinem, musculosq;, ventriculum aliàs foventes, extenuari, caloremq; idcirco innatum exhalare, coctionemq; interturbari. Verùm sæpiùs macilentissimos benè coquere, & in maximè obesis corporibus, talem jecoris intemperiem, cum ventriculi læsione, deprehendimus, ut adeò hâc ratione eam non statim χυλώσει nocumentum inferre, colligere queas. Veritati itaq; magis consonum, à forti calore fermentum nimis dissipari, fieriq; cruditatem nidorosam, à debili non rectè excitari, spiritum fermentatorem currumpi, cruditatemq; efflorescere acidam. Necessarius est hic calor in homine brutisq; perfectioribus, non tamen in omnibus, ut in pisce, cancro, serpentibus, insectis &c. cum illa fermentum peculiare habeant, quod absq; notabili calore in actum deduci potest. Cruditas tamen etiam fit, si in fermento calor non recte sit dispositus, sive si ipsum fermentum non ritè sit elaboratum.

XXVI. SUBJECTUM spiritus fermentatoris est humidum subtilissimum, ut antea dictum. Hoc verò unde proveniat, & quomodo generetur in corpore, non satis est exploratũ. Veteres succum acidum è liene ad ventriculum per vas breve eructari in hunc scopum volebant. Verùm cum αὐτοψία edoceat,

vas

vas illud non nisi præter naturam interdum aperiri, hæsitare nonnihil hîc cogimur, aciditatem aliàs ad fermentationem, ceu clarum ex antea allatis, suspectã existimantes. Calidum & sulphureum debet esse, quod fermẽtat. Sed humor ejusmodi calidi hospes, quomodo generabitur, nisi ipsâ fermentatione? Ipsa Natura, ejusq; simia, Ars, probatissimum, indubio experimento exemplar ante oculos ponunt, fermentatione excludendo materiam, copioso spiritu fœcundam, ad novamq; fermentationem excitandam aptissimam, ceu mustum, cerevisiaq; recens cocta & fermentata attestantur. Quocirca in ventriculo nostro unde fermenti materiam, nisi ab ipso cibo fermentato generari censebimus? Farina fermentata, aliam farinam etiam, in levi massa communicata, vicissim fermentare potest. Quid ergò mirum, si spuma, vel particula cibi cocti levissima, in ventriculi parietibus re icta, idem præstet? Coagulum in mactatorum vitulorum ventriculis repertum, aliud lac coagulat, levi quidem negotio, Corydonum mulierculis noto, sed exemplo consideratu digno, separationis rudimentum ad fermentationem necessariæ offerente. Hujus tamen fermentalis materiæ quædam videtur in intestinis, & ventriculo diversitas. Etenim dicat mihi aliquis, quem usum præstet bilis chylo, quando in jejuno cum eo miscetur? ut expultrix stimuletur, inquies. At certè delirat Natura, quòd illi parti æstrum ad excitandam expultricem addiderit, in quâ chylus copiosus non sui expulsionem, sed potiùs placidam quietem, ut à lacteis exsugeretur, expectabat; injuriaq; est misero ventriculo, quòd ipsum stimulo hôc non donârit, quo tamen magis opus habebat, orificium inferius, per quod cremor paratus in exitu ascendere cogitur, non in fundo, sed in supremâ protuberans parte obtinens. Interdum tamen natura misereſcere ventriculi, fieriq; propitia videtur, elargiens de poro cholidocho ramulum. Sed ringitur ob collatum beneficium *Galenus*, Naturamq; errare, & πικροχόλους ἄνω procreare clamitat, ipsemet ingentem errans errorem, horologium rectè quidẽ se habere, lucidum verò mũdi oculum, solem, in cursu suo hallucinari, eruditorum choro persuasurus. Si inutile bilis excrementum erat, nec chylo socianda, quare Natura solertiæ

&

& prudentiæ suæ oblita, peculiare illi diversorium in hepate magno cum studio exstruebat, nec alia recrementa, pituitam succumq; atrum peculiaribus quoq; thecis reponebat? Quare non potiùs nauci hospitem statim omni conatu ad communia emunctoria, vesicam urinariam intestinavè inferiora relegaret? Quare in brutis voracioribus ferè semper de industriâ ad ventriculum mitteret, cum ciboq; & potu ingesto misceret, non leve in coctione inpedimentum allatura? Usum ergò aliquem bilem in coctione necessariò præstituram credimus, eamq; ipsam quoq; fermenti materiam esse, (aut alium, quæso, monstres scopum.) auguramur. *Galenus* 4. de usu part c. 2. nolens volens bilem fermentatione generari, adducto musti ebullientis in doliis simili, affirmare cogitur. Si autem res ita se habet, quis ulteriùs bilem, excrementum fermentatione exclusum, novum ingestum cibum fermentandi vim obtinere dubitabit? quod quivis è medio rure callet, excremento è fermētatâ cerevisiâ rejecto, aliam recens coctam fermentans. Nimirum hæc fermentatio nostra, quæ inchoatur in ventriculo, terminari videtur in hepate; particulaq; chyli in ventriculo fermentati alios cibos fermentandi vim obtinet, magis tamen recrementum sulphureum, & leve, absolutâ fermentatione in hepate seclusum: Unde & brutis quibusdam, ut eò melius coquant, humor amarus, semper quasi ingenitus in stomacho invenitur, vel per canaliculum cholodochon ab hepate transmittitur.

XXVII. Novitatis dicam nobis hæc astruentibus nemo scribat, vetustissimos authores, idem olim sub innuentes, contemplatus. *Aristoteles* quidem ex aliorum mente, fel hostilem microcosmi incolam, ex ejusq; absentiâ vitam prorogari interdum scribit, sui autem oblitus *problem* de felle, animalia ideò fel habere dicit, quia acumine multùm juvet viscera ad expellendum superflua, & juvandum ipsum stomachum in digerendo. *Nemesius Græcus author antiquissimus* calculum suum addit: Nam ad coctionem bilis confert, ait, excrementorum depulsionem movet, simulq; calorem quendam præbet corpori instar vitalis facultatis. Ridiculum autem hoc accidat nemini, quod præter juvamentum coctionis, bilis etiam

calo-

calorem augere hic dicatur. Quòd enim calor in re fermentandâ à fermento excitetur & augeatur, etiam mulierculis spiritum de fermento parantibus notum. Cerevisia in doliis ebulliens, certè tantam vaporum copiam quasi igne subjecto emittit, ut absq; suffocationis periculo, cellam ingredi, candelam accensam ibi servare nequeas. Quid itaq; mirum, si idem à bilis fermento eveniat; omnesq; corporis partes à sumto cibo & potu fermentato, quod quilibet proprio experimento testari potest, incalescant? Est nimirum fermenti proprium, calore suo rei fermentandæ calorem excitare, & in actum deducere. Idem tandem officium felli *Mundinus*, & alii olim tribuêre: ut ideò nil novi sentire, in scenamq; ducere videamur. Quamvis quidem istæ novitates, teste *Tullio de Amic.* quæ spem afferant, ut tanquam in herbis non fallacibus fructus appareat, non sint repudiandæ.

XXVIII. Ogganniat aliquis: si bilis fermentationis virtute pollet, sive ad intestinum, sive ad ventriculum feratur, qualem usum habebit urinæ nupta, simulq; ad cystim translata? Ut tota Medicorum schola credidit, puerili argumento à flavedine desumto, hactenus elusa; ut ex *Galeno* liquet, dicente: *Manè video urinam meam aqueam, quare me repono ad quietem, & post aliquod spatium tinctam video, quia bilis ultimò advenit, & sic urina ultimam suæ digestionis maturitatem recipit.* Verum lepida hæc est fabella, argumentumq; tã firmum, quo vix homunciones in arundine longâ equitantes ludere, orichalcumq; pro auro venditare possis. Eâdem ratione & capillis flavis felleam tincturam immersam esse credere posses. Novimus sanè insignem fellis amarorem, qualitatem magis propriam, ut etiam unica guttula, quæ fortuitò exenteratum piscem maculavit, totum licet exquisitè abluas, ita inficiat, ut linguæ judicium nequaquam effugiat. Ad urinam igitur saturatè tinctam, quanta bilis copia requireretur? quanta amarities conflaretur? ut eam vulgus ad præservationem à peste non amplius amystide biberet, nec absq; nauseâ tam promtè appeteret. Tincturæ autem in urinâ rationem quærens, lixivium è cineribus factum

ejusq; cum sanguine commixtionem, ac in carnem conversionem, sanitati obesse, ut vult *Montanus*, teste *Samuele Schönbornio, in manuali Medicin. pract. p. 19. de capiti nocivis*, non admittimus.

Præstantissimo Dn. Christophoro Ausfeldio, Amico suo S. D.

EX benè concoctis studiis hæc *coctio* prodit,
prodens ingenii dona corusca tui.
Prævidi Jenæ quondam, pòst Noridos urbe
in magnâ, Musas quasq; favere Tibi.
Accessit Phœbus, Medicinæ creditus autor,
addidit & Medicas ingeniosus opes.
Hæ Tibi præclaros dudum peperêre Patronos,
& parient plures, conciliante DEO.
Tu *Præceptores* avidâ modò mente sequaris,
Rôllfinck, Schelhammer, Mœbiadenq; Tuum,
Corcula chara mihi, dum sanguis & ossa calebunt;
sim licet abjunctus corpore: corde minùs.
Adsit plæclaro terclemens Jova labori,
& servet cano Te, tua cuncta, Patri.

Adfectus testandi F.
Norimb.
Joh. Mich. Dilherrus.

F I N I S.